



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ**

**Suárez, Francisco**

**Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621**

Cap. 11. De vnitate personarum in subsistentia absoluta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

omnipotentia ad extra est potentia ratione distincta, subordinata intellectui, vt dirigenti, & voluntati libera, vt applicanti. Deiq; ratione huius omnipotentia sic intellexit, dixit Athanasius: *Non tres omnipotentes sed vnus omnipotens, non tres Domini sed vnus est Dominus.*

6. *Replia de potentia generandi.* Quamuis aures hoc modo satisfactum sit difficultati, quatenus ex absoluta omnipotentia sumebatur, non tamen satisfactum est testimonio Augustini, nec difficultati, quae obiter notata est ex potentia productiua ad intra: Est enim sit diuerse rationis ab omnipotentia, tamen aliqua potentia est: ergo erit in vna persona aliqua potentia, quae non est in alia, ergo non sunt aequae omnipotentes saltem quatenus illa distributio sumi potest ex parte potentialium.

7. *Responsio.* Respondeo tamen breuiter negando consequentiam. Est autem supponendum ex dicendis libro 6. potentiam productiua ad intra, quatum ad principium formale, seu per se productionis, esse quid absolutum, connotare autem aliquam relationem, vt conditionem necessariam ad hoc, vt persona habens tale absolutum producere possit, cuius rationem ibi trademus. Hinc ergo dicimus, potentiam generandi, quantum ad id, quod habet rationem potentiae in Filio esse, solum; illi deesse relationem Paternitatis, quae est conditio necessaria, vt talis potentia exeat in actum, vt sic dicam. Et ideo nihil, quod spectet ad veram rationem potentiae, minus esse in Filio, quam in Patre.

8. *Obiectio.* Dices, hoc ipsum, scilicet, habere potentiam cum conditione requisita ad agendum, vel sine illa multum referre, vt quis dicatur habere perfectam potestatem, vel minus perfectam: ergo hoc satis est, vt sit in aequalitate potestatis in personis: Respondeo, Si conditio illa pertineat ad absolutam rei perfectionem, ita est. Si autem sit conditio relatiua, seu antecessio originis, nihil minuit de absoluta perfectione potestatis. Ita vero est in proposito. Pater enim solum praenit Filium origine, quia ex se habet intellectionem illam, per quam Filius productus est, totam vero illam communicat Filio, & ita in Filio est totum id, quod est ratio, seu principium quo producendi ipsum, ipse vero non potest per illud principium generare, solum quia iam inuenit adaequatum eius terminum productum. Et idem est cum proportione de Spiritu sancto. Ac per hoc satis sit obiectio Aureoli, Durandi, & aliorum in hac materia. Existimoque hanc esse communem responsum, praesertim Diui Thomae, licet diuersis verbis ab illo tradatur. Ille enim prima parte, quaestione 42. articulo 6. ad 3. quem Ferrar. 4. contra gentes capite 13. & alij Thomistae imitantur, respondet, eandem potentiam esse in Patre, vt generet, in Filio vt generetur, quod facile potest trahi ad sensum dictum.

9. Alij, vt Egidius, & Argentina respondent, Potentiam solum esse ad id, quod non implicat contradictionem, & respectu Patris non implicare contradictionem generare, & ideo si generare non posset, foret impotentia in illo, respectu autem filij implicare contradictionem, & ideo non esse impotentiam etiam si generare non possit. Quia realiter eandem potentiam habet, solumque ex parte obiecti est repugnantia. Contra quam solutionem se offert replica, quia omnipotentia simpliciter non respicit id solum, quod non implicat contradictionem per comparationem ad ipsum agens, sed quod in se, & per se spectatum non implicat, vt recte Diuus Thomas 1. parte, quaestione 25. articulo 3. Ergo cum generare Filium in se spectatum non implicet contradictionem, respectu illius actus, vt sic, debet accipi summa potentia, & non comparatione huius, vel illius personae: ergo posse producere hoc, quod secundum se non implicat contradictionem, in-

dicabit potentiam. Ergo simpliciter, erit maior potentia Patris, quam Filij. Sed hoc non cogit. Aduertere enim oportet: quod in Deo, posse generare secundum Filium, absolute implicat contradictionem, respectu cuiuscumque personae: & ideo quod Deus possit generare vnicum Filium non implicat absolute, quod autem implicet respectu Filij, solum est propter relationem originis, quia supponitur iam productus. Re tamen vera in se habet ipse totam illam potentiam, quae est principium producendi ipsi summet Filium, & ita haec responsio reuoluitur in nostram.

Ad August. ergo respondetur, Vsum fuisse nomine omnipotentiae late, vt comprehendit personam productiua ad intra, ideoque dixisse, contra omnipotentiam Dei Patris esse non posse generare, quia cum illi non desit conditio necessaria, si non posset, necessario esset ex defectu potestatis. Non omitam autem aduertere, rationem August. per se, & in vi rationis spectatam, non concludere, quia si infidelis diceret generationem Filij aequalis in DEO implicare contradictionem, facile, ac consequenter negaret, esse contra omnipotentiam non posse generare. August. ergo procedit supposita fide, quam quoad hanc partem, haereticus ille, contra quem argumentabatur, non videtur negasse, vt colligitur ex eodem libr. capit. 14. & notatur etiam Scotus in 1. dist. 20.

## CAPVT XI.

*Antres persona diuina sint vnium in aliqua subsistentia absoluta, & essentiali.*

Quaestionem hanc late disputauimus in tom. de incarnatione disp. 11. sectione 3. & ideo non repetam, quae ibi tractata: sed in summam redigam, & nonnulla addam, propter aliquos recentiores, qui doctrinam ibi traditam in duobus in pugnant. Primo in re ipsa, secundo in vsu vocis *Subsistentia*. Dicunt ergo aliqui, existentiam diuinam essentialem ex vi conceptus absoluti non esse per se existentiam, sed solum existentiam substantialem cuiusdam naturae. Eo modo, quo existentia creata humanitatis CHRISTI (quam ipsi etiam admittunt) non est per se existentia. Ratio praecipua est, quia diuinitas cum sua existentia absoluta est in personis, ergo praecisus personalitatis relatiuis non est per se. Probatur consequentia, quia per se hoc loco, non sumitur, vt distinguitur contra in alio, vt in subiecto: hoc enim modo etiam existentia humanitatis CHRISTI est existentia per se, id est, substantialis, & non accidentalis. Sumitur ergo, vt excludit esse in alio, vt in supposito, ergo cum diuina essentia sit in tribus suppositis, non est per se hoc modo, vt praecisa ab illis, & ex vi solius existentiae essentialis. Additur confirmatio, quia si talis esset subsistentia in Deitate, non posset haec Deitas, vt praecisa a personis in abstracto accipi. Pater sequela, quia quantumuis praecisa a personis, includeret subsistentiam: id autem, quod subsistentiam includit, non est abstractum, sed concretum, nam haec est potissima differentia inter illa.

Secundo asserunt, etiam si in Diuinitate admitteretur per se existentia absoluta, illam non posse appellari, *subsistentiam*. Ratio est, quia ex vsu sanctorum Patrum subsistentia idem est, quod personae, vel hypostasis: dici autem non potest, tres personas esse vniam hypostasim, vel vniam personam, ergo neque vniam subsistentiam. Minor certae est, quia illud esset incidere in errorem Sabellij, Maior autem constat ex dictis supra de voce *hypostasis*, vt ex Patribus praesertim Graecis ibi citatis colligitur & ex

Edictum de  
Fide Iustiniani  
Imperatoris  
ad Ioan.  
Papam.  
Agatho Pa-  
pa.

& ex Concilio Later. sub Martino 5. Consult. 5. Canon. 1. dicente. *Trinitatem numerari tribus subsistentiis*, & ex edicto de fide, Iustiniani Imperatoris ad Ioannem Pontificem, quod habetur in 2. tom. Conciliorum post Concil. Tolet. 2. Item ex Agathone Papa in eius epist. quæ refertur in 6. Synodo act. 4. & ex Ioanne Maxentio in vtraque fidei professione, quæ referuntur in 4. tomo Biblioth. Sanct. In hac autem materia non licet vti vocibus præter vsum Patrum, ne ex verbis inordinate prolatis detur erroris suspicio.

3. Ego vero in primis sentio, Diuinitatem per se, & complete existere ex vi suæ existentie essentialis: atq; adeo illam vere dici per se existentiam ex præciso conceptu absoluto. Hæc est sententia, & D. Thom. & communior Theologorum, vt late retuli citato loco, & supra etiam tractando de existentis, & subsistentis reatiuis. Patres etiam ibidem allegaui, quibus statim aliquid adiciam. Ratio, quæ me maxime mouet, est, quia huiusmodi per se existentia pertinet ad summam perfectionem intentionem entis, est enim perfectio simpliciter simplex. Quod aduersarij non negant: nam reuera est quasi per se notum ex terminis, vt lati<sup>9</sup> etiam ibi dixi: ergo includitur formaliter hæc perfectio in essentiali conceptu Diuinitatis, atq; adeo est absoluta. Patet consequentia ex supra dictis in capitulis præcedentibus, nam tota essentia, & omnis perfectio simpliciter communis est tribus personis.

4. Respondent vero aliqui, satis esse, quod hæc perfectio sit communis secundum rationem tribus personis: nam ratio subsistenti, & per se existendi in omnibus est, non quia vna numero perfectas: (vt ita loquamur ad rem explicandam) & realiter eadem in illis sit, sed quia hæc ratio communis est omnibus proprietatibus illarum. Sed hæc responsio facile refutatur, quia tota diuina essentia est eadem numero, & realiter communis tribus personis: ergo omnia prædicata essentialia sunt eodem modo realiter, & indistincte communia omnibus personis: hac enim ratione id probauimus de omnipotentia, & de cæteris attributis: ergo si hæc perfectas existendi est prædicatum essentialiale, debet esse idem numero realiter, & non tantum ratione commune tribus personis. Alioqui tres personæ non sunt vnum numero in tota essentia Dei, nec Pater communicat Filio totam suam realem essentiam, contra Concil. Lateran. in cap. *Damnatus*. Patet sequela, quia tota essentia nostro modo loquendi coalescit ex omnibus prædicatis essentialibus: ergo si vnum illorum non est realiter commune, non est tota essentia realiter communis.

5. Et præterea declaratur in hunc modum, quia perfectio simpliciter, & præsertim communis secundum rationem, qualis illa esse asseritur, non solum debet conuenire personis, sed etiam Diuinitati secundum se conceptæ, præcisè relationibus: ergo talis perfectio non potest provenire ex relationibus, vt relationes sunt: ergo non potest esse communis solum secundum rationem, nam hæc communicatio solum inuenitur in Trinitate ratione relationum, propter distinctionem, cum conuenientia aliqua, quam inter se habent. Consequentia sunt euidentes, vt existimo. Antecedens vero patet, tum quia Deitas præcisè relationibus, est infinite perfecta in genere entis, tum etiam quia est verus Deus, atq; adeo completum ens.

6. Respondent aliqui, Deitatem sic conceptam non includere omnem perfectionem simpliciter simplicem, atque adeo esse completam in ratione naturæ, non vero in ratione substantiæ, & entis, & eodem modo esse infinitatem in ratione naturæ, non in ratione entis. Quam infinitatem solum in hoc ponunt,

quod habet esse à se, non vero in hoc, quod includat omnem perfectionem simpliciter. Vnde tandem concludunt, illam non posse dici Deum, nisi vt includit aliquam relationem. Hæc vero omnia tam absurda videntur mihi, vt sufficienter ostendant falsitatem contrariæ sententiæ. Et in primis Concil. Rhemense contra Gilbertum sic inquit. *Credimus, & confitemur simplicem naturam Diuinitatis esse Deum, neq; aliquo sensu Catholico posse negari, quin Diuinitas sit Deus, & Deus Diuinitas*. Quod ita declarauit, ac docuit, quia Gilbertus etiam dicebat, essentiam sine relationibus non esse Deum: in eo vero magis errabat, quod ad Dei constitutionem postulabat proprietates distinctas ab essentia, quod dicti auctores Catholici non dicunt. Et sic possunt interpretari Concilium ita loqui, eo quod essentia sit persona, & è contra. Tamen quia Concilium extendit sermonem, & è dicit, in nullo sensu Catholico Deitatem non esse Deum, ideo multum urget contra illam sententiam, si verba illius, prout à nobis relata sunt, illius esse admittantur. Quod ideo dico, quia non habemus illud concilium, & P. Vazquez, qui eius decreta refert ex quodam codice manu scripto, dubitat, an illa sint formalia verba Concilij: sed neq; rationem declarat, cur dubitet, nec negat illam fuisse sententiam Concilij, quod nobis satis est, siue illis, siue aliis verbis eam docuerit.

Præterea ex illa responsione sequitur, Trinitatem, & quamlibet diuinam personam esse quid perfectius Deitate, contra illud. *Quod dedit mihi Pater, maius omnibus est*. Sequela patet, quia illud est perfectius, quod formaliter includit omnes perfectiones simpliciter: quam illud, quod non omnes formaliter continet, sed personæ diuina includit formaliter aliquam perfectionem simpliciter, quæ non includit Diuinitas, vt ex dicta sententia constat, ergo. Imo inde facile etiam inferri potest, vnam personam includere perfectionem simpliciter, quam non includit alia, & consequenter nullam esse omnino perfectam. Ac deniq; sequitur, Deum non esse essentialiter summe perfectum, quia ex vi suæ essentie non habet formaliter omnem perfectionem simpliciter.

Fortasse aliquis coactis his argumentis, negabit quod pro certo assumpsimus, per se existentiam esse perfectionem simpliciter, quia licet dicat perfectionem, quod negari non potest, non vero talem, quæ in quolibet individuo entis melior sit ipsa, quam qualibet ei composibilis. Nam in Diuinitate, vt sic, maior perfectio est, esse communicabilem tribus personis, cui repugnat per se existentia, & ideo talis modus existendi formaliter sumptus, non erit perfectio simpliciter respectu Diuinitatis. Vnde, vt Diuinitas sit ens summe perfectum, satis erit, quod sit radix totius subsistentiæ, quamuis illam formaliter non includat in suo præciso conceptu. Et confirmatur, quia ita nos philosophamur de ratione personæ, quam non possumus negare, dicere aliquam perfectionem, non tamen simpliciter simplicem, quia hic Deus, præcisè relationibus, persona non est: & quia persona includit incommunicabilitatem repugnantem communicabilitati Diuinæ naturæ.

Sed hæc responsio, merito ab alijs etiam auctoribus non datur, neq; admittitur. Quia esse completam substantiam, sine dubio pertinet ad perfectionem simpliciter: ad hoc autem requiritur per se existentia. Idem posse esse principium quod propriarum operationum, absoluta perfectio est, at hoc esse non potest nisi in re per se existente. Denique in hoc conceptu per se existendi nulla includitur imperfectio, neque impossibilitas cum maiori, vel æquali perfectione. In quo multum, per se existentia,

vt sic

vt sic, differt à personalitate, vel suppositualitate, nam hæc includit formaliter, quod sit ratio incommunicabiliter subsistendi, quod non habet, nisi vel ratione oppositionis, vt in diuinis, vel ratione limitationis, vt in creaturis. Et ideo non potest formaliter conuenire huic Deo præcise cōcepto, quia in eo, nec relatio, nec limitatio includi potest.

10. Perfectio autem de qua agimus, præcise dicit perfectitatem essendi, quæ ex proprio conceptu non postulat omnimodam incommunicabilitatem, sed tantum illam, quæ est ad rem aliquo modo actualiter distinctam à parte rei, vt in illa, vel per illam sustentetur. Quomodo humanitas Christi præcise concepta non est per se existens, quia vt sic, est apta vniri alteri, à quo sustentatur, vnde etiam illi vnita non sit ipsa proprie intrinsece subsistens, sed est potius inexistens Verbo, quod proprie in ipsa subsistit: seu ipsa persona composita ex humanitate, & Verbo, subsistens est, ratione solius subsistentiæ Verbi. Diuina autem natura non hoc modo communicabilis est, sed per summam identitatem, secundum quam intrinsece includitur in ipsismet relationibus, quibus communicatur: & hoc modo ex natura diuina, & ratione respectiua consurgit persona incommunicabiliter subsistens. Non quia diuinitas indigeat relatione, vt ab ipsa sustentetur, sed solum, vt propter infinitam fecunditatem suam se illi communicet: vt possint personæ multiplicari. Atq; ita fit, vt persona secundum se totam sit perfectissime subsistens, quia & habet naturam per se existentem communicabiliter, & relationem per se etiam incommunicabiliter subsistentem.

11. Hic ergo modus per se essendi non repugnat cum aliqua alia perfectione diuinitatis: & ideo est perfectio simpliciter. Quam doctrinam sumo ex Diuo Thoma 4. contra gentes capite 18. vbi hoc sensu dicit, *Et essentiam, & personam esse subsistentem.* Sic etiam prima parte quæstione 3. docet ipsum esse per essentiam subsistens esse Dei essentiam, & plura alia eius testimonia artuli citato loco. Atque ita responsum est principali fundamento alterius sententiæ. Confirmatio vero de abstractis, & concretis nullius est momenti, quia ad illa sufficit noster modus concipiendi, vt supra dixi, & in libr. 7. latius explicabitur.

12. Superest, vt de nomine subsistentiæ applicato ad significandam hanc perfectionem diuinæ essentiæ, pauca dicamus. Et in primis, cum fere omnes Scholastici hac voce vtantur in hac significatione, etiam si olim fortasse alium vsum habuerit, non potest hic reprehendi. Quia cum res ipsa vera sit, necessario debuit aliqua vox ad illam significandam accommodari, vt in multis similibus docent Patres, etiam contra hæreticos: & pro Scholastico vsum maxime necessarium est. Tota autem Schola Theologorum habet auctoritatem ad huiusmodi vsum introducendum, & vox ipsa valde accommodata est, quia nihil aliud indicare videtur, nisi perfectum existendi modum.

13. Deinde nego vocem hanc in hac significatione nõ habere magnum fundamentum in Patribus antiquis. Nam Boetius lib. de duabus naturis, quatuor distinguit vocabula græca. *ἔσθια, οὐνοσθια, ὑποστάσις, ὑπόστασις, ὑπόστασις*, quibus ait respondere quatuor Latina. *essentia, subsistentia, hypostasis, Persona.* Ecce vbi distinguit subsistentiam ab hypostasi: Vnde infra subdit, hominem subsistere, licet hypostasis non sit. Et de Deo ait, in eo idem esse essentiam, & subsistentiam, *Est enim, inquit, essentia, quia est subsistentia, quia in nullo est.* Quod vltimum verbum iuxta dicta explicandum est. Anastas. etiam & Cyrill. Alexand. in compendiaria fidei explicatione in 4. tomo Biblioth. sic inquit. *Quid est Deus? essentia cuius nullus est auctor, cui prorsus nihil deest. Quid est essentia? Res, quæ per se est, neq; altero indiget ad hoc, vt ipsa subsistat.* Deniq; Aug. Hieronymus, &

alij quos citato loco adduxi, manifeste vtuntur hac voce *subsistendi* in hac significatione. Et quamuis e sensu eorum, quantum ad rem spectat, possit esse controuersia, tamen de vfu vocis esse non potest: nam Diuinitatem ipsam per se vocant subsistentem. Imo Hieronym. ait, si *vox hypostasis* tantum significet substantiam, Diuinitatem esse hypostasim, & subsistentem.

14. Vox ergo subsistentia, licet in multis conciliis, & auctoribus vsurpetur pro hypostasi, non tantum semper. Nunc autem vfu frequentiori vt ipsa sonat, illa vox pro concreto, sed pro abstracto vt ipsa sonat, scilicet, pro ratione subsistendi, cui responderet, vt concretum subsistens, quod latius patet, quam persona, vel suppositum, quia dicitur etiam de subsistente communicabiliter. Et ideo licet tres personæ sint vna subsistentia absoluta, non tamen sunt vna persona, neq; vnum suppositum, vt latius citato loco declarauit.

CAPVT XII.

*Tres diuinas personas vere, ac proprie esse, & dici vnum Deum propter essentia unitatem.*

Veritas hæc videri potest in superioribus satis declarata, & comprobata: nihilominus tamen hoc loco ex professo tractanda est, cum ad refellendas nonnullas falsas Theologorum sententias, tum etiam, vt ex propriis principiis iam demonstratis, illam ostendamus. Est enim hæc veluti conclusio in hoc libro præcipue intenta. Dixerunt ergo aliqui, quod licet propter Ecclesiæ vsum, & propter vitandas hæreses, ita loquendum sit, vt tres personæ simpliciter dicantur vnus Deus, nihilominus, re ipsa spectata, non esse illam omnino propriam unitatem, & ablata suspitione erroris potuisse alium modum loquendi intro duci. Ita Marfil. in prima quæstione 5. artic. 3. ad 4. & 5. & Petrus de Aliaco in 1. quæstion. 3. circa finem, & quæstione 5. per totam. Afferuntq; illud Genes. 1. *Creauit Deus caelum & terram.* Vbi Hebraica lectio habet *Creauit Dij*, quod dictum putant propter unitatem nature, & Trinitatem personarum. Ita enim ibi exponunt Lyra. Burgenis, & alij, quos refert, & sequitur Galatinus libr. 2. de arcaneis cap. 9. Et Catherinus libr. 4. contra Caietan. putat esse certum sensum. Quam etiam Theologum Magist. in 1. distinct. 2. sequuntur. Nec discordat D. Thom. 1. part. quæst. 39. art. 3. vbi ait, linguam Hebræam iuxta suum vsum admittere illam loquutionem, non tamen Latinam. Ex quo videtur sequi, re ipsa spectata, non esse impropiam loquutionem illam, sed solum propter vsum non admitti. Et confirmatur, nam Deus est habens Deitatem, sed in Trinitate sunt tres habentes Deitatem, ergo dici possunt tres Dij.

Secunda sententia referri potest, afferens tres personas vere, & proprie esse vnum Deum ratione vnus subsistentis communiter in Deitate: ablata vero subsistentia communi non posse tres personas dici proprie & simpliciter vnum Deum. Sumitur ex Caietano 3. p. q. 3. art. 6. & Durand. in 3. dist. 1. qu. 3. circa finem. Richard. art. 1. qu. 5. Ratio est, quia posita subsistentia communi, hoc subsistens in Deitate est hic Deus, qui proprie dicitur esse Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Ablata vero illa subsistentia, non potest designari in concreto vnus numero Deus, qui sic tres personæ.

Nihilominus certa fides est, tres personas vere esse, ac proprie dici vnum DEVM, & nullo modo dici posse, esse plures Deos. Hoc est veluti primum fidei fundamentum, in quo sicut non potest esse falsitas,